



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S.  
Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ  
extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

**Bacon, Francis**

**Francofvrti ad Moenvm, 1665**

Operatio Super Alimentum ipsum ad Insinuationem ejusdem. VII. Historia.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5**

quenti inducat, & Mala Cutis. Atque de Operatione super Partes Exteriores, ad Attractionem Alimentum, hac inquisita sunt.

## OPERATIO Super Alimentum ipsum ad In- sinnuationem ejusdem.

### VII.

#### HISTORIA.

1. **R**eprehensio vulgaris de multis Ferculis. Cen-  
sorem potius decet, quam Medicum; aut, ut-  
cunque constantia Sanitatis utilis esse potest, ad Lon-  
gitudinem vitæ noxia est; Propterea quod Mistura  
Alimentorum varia, & aliquantum Heterogenea,  
Exitum reperit in Venis, & Succos, melius & ala-  
crius, quam Simplex, & Homogenea; Cum insuper  
ad Appetitum excitandum, (qui Acies est Digesti-  
onis) plurimum possit. Itaque & Mensam variam, &  
Mutationes subinde Ciborum, pro Temporibus  
Anni, aut alias probamus.
2. Etiam illud de Simplicitate Ciborum absque  
Condimentis, Simplicitas Judicii est; cum Condi-  
menta bona, & bene electa, sint Præparationes Cibo-  
rum saluberrima, atque tum ad Sanitatem, tum ad Ve-  
ritatem conferant.
3. Videndum est, ut cum Cibis Duriotibus, con-  
junctantur Potus Fortiores, & Condimenta que pe-  
netrent, & incendant: Cum Cibis contra Faciliotibus,  
Potus Tenues, & Condimenta Pingua.
4. Cum paulo ante monuerimus, ut prima Potio  
in cœna excipiatur Calida; nunc addimus, quod ad  
Præparationem Stomachi, etiam Semihora ante  
Cibum, bonus Hautus Potus (cui quisq; maxime in-  
suevit) calidus usurpetur; sed parum Aromatizatus  
ad gratiam Saporis.
5. Præparatio Ciborum, & Panis & Potuum,  
si bene, & in ordine ad Intentionem instituantur,  
magis est prorsus Momenti; licet sit Res Mecha-  
nica, & sapiat Culinam, & Cellam; cum tamen  
longe præstet Fabellis de Auro, & Gemmis, & hu-  
jusmodi.
6. Humectatio Succorum Corporis per Præ-  
parationem Alimentorum Humidam, puerilis Res  
est; Ad Fervores Morborum non nihil facit; ad Al-  
imentationem vero roscidam, omnino contraria  
est; itaque Elixatio Ciborum longe inferior est, ad In-  
tentionem nostram, Assatione, & Coctione in Fur-  
no, & similibus.
7. Assatio debet fieri Igne vivo, & celerius per-  
fici, non Igne lento, & nimia Mora.
8. Carnes omnes Solidiores in usu esse debent non  
prorsus Recentes, sed non nihil Salis Expertæ; ex Sa-  
le ipso autem in mensa, eo minus sumi debet, aut nihil  
omnino. Sal enim Alimento Incorporatus magis va-  
let ad Distributionem, quam per se sumptus.
9. Debent in usum adduci macerationes, & Infu-  
siones Carnium varia, & bona, in Liquoribus ido-  
neis, ante Assationes; quemadmodum quandoque in  
usu sunt similia, ante Coctiones in Furno, & in mu-  
riis aliquorum Piscium.
10. At Pullationes, & tanquam Verberatio-  
nes Carnium, antequam coquantur, hæud parvam  
rem præstant: Certe in confesso est, & Perdices, &  
Phasianos, in Aucupio, & Damas, & Cervos in  
Venatione occisos (nisi fuerit ea Fuga longior) gra-  
viores esse etiam ad Gustum. Pisces autem nonnulli

Flagellati & Verberati, evadunt meliores. Etiam  
Pira Duriora, & Austera, atque alij nonnulli Fructus,  
Compessione dulcescunt. Bonum esset in Usu ad-  
duci, Carnium duriotum nonnullam Pullationem,  
& Contusionem, antequam Ignem patiantur; Idque  
ex optimis Præparationibus erit.

11. Panis modice Fermentatus, & valde parum  
Salitus, optimus est, quique etiam in Furno Ferventi  
satis, nec admodum Elanguido, coctus est.

12. Potus Præparatio ad vitam longam simplici  
fere Præcepto constat; Atque de Aquæ potioribus  
nihil attingere auctore; Potest hujusmodi Dieta (ut ali-  
bi diximus) vitam aliquandiu remorari, sed nun-  
quam majorem in Modum prolongare: At in aliis  
Potibus Spirituosis, qualia sunt Vinum, Cervisia,  
Hydromel, & Hujusmodi; id tanquam Summa  
Summarum affectari, & observari debet; Vt Partes  
Liquoris sint subtilissima, & Spiritus lenissimus. Hoc  
Vetustate simplici difficile erit efficere, quo gignit  
Partes paulo subtiliores, Spiritus vero multo Acio-  
res; Itaque de Infusione in Doliis Substantia alba-  
jus Pinguis, qua Spirituum Acrimoniam compescat,  
jam antea præceptum est: Est & alius modus absq;  
Infusione, aut Mixtura; Is est, ut Liquor Potus conti-  
nuo agitur, sive per Vecturam in Mari, sive per  
Vecturam in Carris, sive suspendendo utres ex Funi-  
bus, eosque quotide agitando, aut aliis hujusmodi  
Modis: Certum enim est, Motum illum localem,  
Partes subtilizare, ac Spiritus in partibus interin-  
ta fermentare, ut Acedini (quod Putrefactionis ge-  
nus est) non vacent.

13. Vergente autem Senectute, etiam talis Præ-  
paratio Ciborum instituenda est, qua sit tanquam in-  
mediæ Via ad Chylum, Atque de Distillationibus  
Ciborum, mera Nuga sunt; Etenim Portio Nutriti-  
va, vel optima, non ascendit in Vaporem.

14. Incorporatio Cibi & Potus, antequam  
concurrant in Stomacho, gradus est ad Chylum; I-  
taque sumantur vel Pulli vel Perdices, & Phasiani,  
& similia; Et coquantur in Aqua, cum pauco Salis;  
deinde mundentur, & siccentur; postea sive in Musto,  
sive in Cervisia fervescente, infundantur; cum pau-  
co Sacchari.

15. Etiam Expressiones Ciborum, & Concisi-  
ones minuta, bene condita, Senibus utiles sunt; eo  
magis quod Officio Dentium in manducatione (quod  
Præparationis præcipuum Genus est,) fere destruan-  
tur.

16. Atque de Juvamentis ejus Defectus, (Den-  
tium scilicet Roboris, ad Cibum molendum) tria  
sunt qua conferre possint. Primum, ut alij Dentes re-  
nascantur; Id quod difficile omnino esse videtur, nec  
posse perferri absque Instauratione Corporis Intima,  
& Potenti. Secundum est ut mandibula per Altrin-  
gentia debita, ita firmentur, ut Officio Dentium, a-  
liqua ex parte, sufficere possint; quod non male cedere  
posse videtur. Tertium, ut Cibus sit ita præparatus, ut  
ista masticatione non egeat; quod promptum est, &  
expeditum.

17. Subit etiam cogitatio de Quantitate Cibi, &  
Potus, Eam in Excessu nonnulla, quandoque ad Irrig-  
ationem Corporis, utilem esse: Itaque & Epula Pro-  
fusa, & Perpotationes, non omnino inhibenda sunt.  
Atque de Operatione super Alimenta, & eorumdem  
Præparationem, hac inquisita  
sunt.